

## LIBER X

DE REGIMINE SOCIETATIS, TAM IN GENERE QUAM IN PARTICULARI, ET CONSEQUENTER DE IPSIUS PRÆLATIS.

- CAP. I. An Societas per modum monarchiæ gubernetur  
convenienter. 1058
- CAP. II. An expediat in Societate Generalem perpetuum institui. 1063
- CAP. III. An convenienti modo reliqui Prælati Societatis instituantur. 1065
- CAP. IV. De suprema potestate jurisdictionis in Societate Jesu. 1072
- CAP. V. De potestate jurisdictionis infra supremam. 1078
- CAP. VI. An Societatis Prælati ad particulare subditorum regimen merito ab eis exigant rationem conscientie. 1081
- CAP. VII. Regimen Societatis per ipsius regulam denunciandi aliorum defectus, ut a quibusdam impugnetur, et ut a nobis defendenda sit. 1089
- CAP. VIII. Præmittitur generalis doctrina denunciationis, ut ostendatur quousque in Societate locum habeat. 1098

- CAP. IX. De modo utendi in Societate denunciatione Evangelica, seu charitativa hactenus explicata. 1103
- CAP. X. Satisfit objectionibus in capite 7 positis. 1111
- CAP. XI. De triplici modo procedendi in externo iudicio contra defectus subditorum, ac primum de visitatione, seu generali inquisitione. 1116
- CAP. XII. De modo procedendi per viam specialis inquisitionis, aut etiam accusationis. 1120
- CAP. XIII. Applicatio doctrinæ præcedentium capitum ad usum Societatis. 1135
- CAP. XIV. An regula Societatis apta sit et sufficiens ad ejus convenientem gubernationem, et religiosam directionem. 1139

## LIBER XI.

DE HIS QUI RELIGIOSUM STATUM A SOCIETATE MUTANT.

- CAP. I. Utrum professus possit a Societate expelli, et quas ob causas. 1149
- CAP. II. Utrum professus in Societate possit ad aliam religionem transmitti, et quomodo. 1151
- CAP. III. Ad quid teneatur professus e Societate ejectus, vel qui modo alio ab illa deficit seu mutatur. 1158

## TRACTATUS OCTAVUS

DE OBLIGATIONIBUS  
RELIGIOSORUM

EX REGULA, PRÆLATIONE ET SUBJECTIONE REGULARI PROVENIENTIBUS.

## INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI

DE PROPRIIS OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM, QUATENUS SUB PROPRIA REGULA  
VIVUNT, VEL SPECIALIBUS JURIBUS UTUNTUR.

- CAP. I. Quid et quotuplex regula religiosa sit, et quomodo a constitutione differat. proprio et rigoroso præcepto teneantur.
- CAP. II. Quam obligationem inducat regula religiosa, et quomodo cognoscatur quanta sit talis obligatio.
- CAP. III. Quomodo dignoscatur regulam obligare, quando id non exprimit.
- CAP. IV. Utrum religiosus teneatur sub præcepto ad non contemnendam regulam, et consequenter, an teneatur ad progrediendum in via perfectionis secundum regulam.
- CAP. V. Utrum teneatur religiosus non dimittere suum habitum.
- CAP. VI. Utrum religiosi ad clausuram servandam non egrediendo claustrum, proprio et rigoroso præcepto teneantur.
- CAP. VII. An rigoroso etiam præcepto teneantur religiosi ad clausuram non admittendo externos.
- CAP. VIII. De clausura monialium quoad non egrediendum e monasterio.
- CAP. IX. Quis possit in prædicta clausura monialium dispensare.
- CAP. X. De altera parte clausuræ monialium, quoad ingressum scilicet in earum monasteria.
- CAP. XI. Utrum omnes actiones sæculares, vel profanæ, et in universum omnes pravæ sint religiosis specialiter prohibita.

## LIBER PRIMUS

DE

# OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM

QUATENUS SUB PROPRIA REGULA VIVUNT, VEL SPECIALIBUS JURIBUS SUBDUNTUR.

Post explicatam essentiam et substantialia vincula status religiosi, dicendum superest de obligationibus, quæ ad omnes pertinent, quatenus religiosi sunt. Et quoniam, tractando de votis quibus religiosi efficiuntur, simul diximus de obligationibus quæ ex illis nascuntur, et in religiosis potissimæ sunt, ideo solum hic superest dicendum de regula, et propriis statutis seu constitutionibus religiosorum, et obligationibus quæ ex eis nascuntur directe, vel etiam indirecte, seu consecutione quadam, ratione ipsius religiosi status, ut in sequentibus constabit. Hoc ergo primo libro dicemus de vi ac potestate regulæ et constitutionis religiosæ, ac obligationibus ex eis directe consurgentibus, etiam illis quæ jure canonico sunt impositæ; postea vero de indirecte consurgentibus ex statu ipso, seu officio.

### CAPUT I.

QUID ET QUOTUPLEX REGULA RELIGIOSA SIT, ET QUOMODO A CONSTITUTIONE DIFFERAT?

1. *Regulæ significatio multiplex.* — Ut obligationem directe proveniente personæ religiosæ ex sua regula vel constitutione intelligamus, oportet ut quid ipsa regula, quidve constitutio sit, et an discrimen inter se habeant, exponamus. *Regula* (inquit Isidorus, libr. 6 Etymologiar., cap. 16, et refertur cap. 2, d. 3.) *dicta ex eo quod ducit, nec aliquando aliorum trahit*, et subjungit: *Alii dixerunt regulam dictam, vel quod regat, vel quod normam recte vivendi præbeat, vel quod distortum pravumque corrigat.* Aliter jurisconsultus, l. 1, ff. de Reg. juris: *Regula est* (inquit) *quæ rem quæ est breviter enarrat; non*

*ut ex regula jus sumatur, sed ex jure quod est regula fiat.* Unde constat vocem hanc æquivocam esse, nam interdum significat instrumentum artis ad dirigendas aliquas actiones inventum, ut ex communi usu constat, et inde videtur derivata ad significandum principium aliquod inventum ad dirigendas operationes morales, et sic apud jurisperitos regula frequentius appellatur brevis et compendiosa præceptio ex jure collecta, ut sit veluti norma aliquarum actionum. Sic inscribuntur tituli de Regulis juris; sic etiam dicitur in l. 9, ff. de juris et facti ignorantia: *Regula juris est, ignorantiam juris nocere, facti vero non*, et sic de aliis. Ex quo tandem in jure canonico regula solet pro lege seu jure sumi; nam lex est, quæ maxime dirigit operationes morales, et in hoc sensu videtur sumpta ab Isidoro, citato loco; ubi etiam ait regulam latine idem esse quod canonem græce; canones autem communi usu jam vocamus canonicas leges. Nihilominus tamen nomen regulæ, etiam in hac significatione ecclesiastica sumptum, non significat rigorosum præceptum, obligans in conscientia, sed simplicem ordinationem mores hominum dirigentem: sicut regulæ artis appellantur præceptiones in unaquaque servandæ, ut opus artificiose fiat. Hoc ergo modo quasi per antonomasiam applicata est illa vox ad significandum regulam religiosam, quia strictiori et perfectiori modo religiosorum actus dirigit, ut bene notavit Umberto, in expositione regulæ Augustini, c. 7, unde ab illa ipsi religiosi regulares sunt appellati, quia ad vivendum secundum regulam aliquam astringuntur, ut constat ex rubrica de Regularibus, ubi Panormitanus et alii id notant. Sicut olim clerici in communi et religiose viventes a canone canonici dicti sunt. Postea

### CAP. I. QUID ET QUOTUPLEX REGULA RELIGIOSA SIT, ETC.

3

vero canonici regulares sunt appellati, quia nomen canonici generalius est, ut optime notavit Navarrus, comment. 1 de Regular., num. 2 et 3, ubi optime defendit geminam illam vocem a calumnia Ludovici Vives, nam canonici simpliciter dicuntur clerici, qui sub aliqua communitate et regula vivunt, quamvis religiosi non sint, sed proprium habeant; canonici autem regulares appellantur, qui non utcumque communiter vivunt, sed alia in super obligatione astringuntur, quod recte etiam notavit Covar., in Clement. *Si furiosus*, part. 1, in princip., num. 1, ubi advertit etiam sanctimoniales virgines in hac significatione a Chrysostomo Canonicas appellari, id est, regulares.

2. *Regula pro instituto vitæ, seu collectione multarum regularum specialium, quadruplex olim tantummodo.* — Ulterius autem, ut secundæ parti tituli satisfaciamus, adverti potest interdum appellari regulam quamcumque singularem ordinationem, seu legem, ita ut nomen regulæ commune sit; interdum vero esse hoc nomen collectivum, significans normam vivendi secundum perfectionem evangelicam; quo modo una regula continet in se plures regulas priori modo sumptas, et utroque modo est frequens usus hujus vocis in præsentia materia; præcipue tamen loquimur posteriori modo. Atque ita distingui solet ab auctoribus quadruplex regula religiosa specialiter ab Ecclesia approbata, scilicet Basilii, Augustini, Benedicti (de quibus fit mentio, et earum approbatio supponitur in cap. *Perniciosam*, 18, q. 2, ex Concilio Romano sub Innocentio II, cap. 26 et 27), et regula S. Francisci, ab Honorio III approbata, sub quibus regulis multæ religiones vivunt, ut sub regula S. Benedicti militant fere omnes ordines monachales, præter Carthusianos, qui habent statuta pro regula, ut notat Sylv., verb. *Religio*, 1, q. 7, ut proprii Benedictini, qui in jure monachi nigri appellantur, Cistercienses, Camaldulenses, et alii præterea fere omnes ordines militares Hispaniæ. Sub regula S. Basilii dicuntur militare fere omnes Orientis monachi, et idem dicit Anton., tertia part., tit. 16, cap. 1, § 8, de Carmelitis; sed de hoc postea n. 6 videbimus, nam illius Ordinis auctores non facile hoc admittunt, sed suam regulam esse volunt ab omnibus prædictis diversam, et ante Honorium etiam approbatam. Sub regula vero Augustini militant omnes canonici regulares, et eremitæ, qui Augustiniani et

Prædicatores, et plures alii, qui, ut Anton., Sylvest., et alii aiunt, licet in regula conveniant, constitutionibus inter se differunt.

3. *Discutitur prædicta quadrimembris divisio regulæ.* — Ut autem hoc explicemus, et cur illæ tantum quatuor regulæ numerentur, et approbatæ dicantur, quæri potest quid inter regulam et constitutiones differat. Nam si regula singulariter sumatur, quælibet constitutio religiosa, regula est; si autem sumatur collective, regula uniuscujusque religionis comprehendet omnes constitutiones ejus, quia ex omnibus consurgit norma vivendi in illa religione, et quia non est major ratio cur sub collectione regulæ quadam constitutiones potius quam aliæ comprehendantur. Confirmatur et declaratur, quia quando religiosi promittunt obedientiam secundum regulam, necesse est ut sub regula constitutiones comprehendant, alias non tenerentur secundum illas obedire, nec ad majorem vel strictiorem obedientiam obligarentur fratres Prædicatores, verbi gratia, quam canonici regulares, quia omnes obligantur ad obediendum secundum eandem regulam, si per regulam sola Augustini regula intelligenda est; consequens est aperte falsum; ergo oportet ut in unaquaque religione propriæ constitutiones sub illius regula comprehendantur. Quod si hoc ita est, sine causa distinguuntur tantum quatuor regulæ approbatæ, sed tot distinguendæ sunt, quot sunt in Ecclesia religiones approbatæ; quia nulla esse potest religio sine propria regula in eo sensu sumpta, alias non haberet in quo distingueretur ab aliâ, nec potest esse religio approbata, quin regula ejus approbata sit, cum tota perfectio et substantia religionis (ut sic dicam) pendeat ex regula, seu ex ordine ad illam.

4. *Enucleatur jam ipsa divisio.* — In hoc potest solum esse quæstio de vocabulis, et ideo illa, vel illorum usum distinguere oportet, et ita constabit an in re sit aliqua differentia. Non est ergo dubium quin, loquendo de regula juxta significationem explicatam, pro norma recte et perfecte vivendi, omnes constitutiones religionis, quæ in illa habent vim legis, sub regula comprehendantur, quia in illis omnibus consistit norma perfecte vivendi in tali religione, et hoc convincit ratio facta. Videtur autem in aliquibus religionibus quasi per antonomasiam vocari regula, quædam specialis norma seu præceptorum collectio a primo aliquo fundatore religiosi status tradita, quæ a cæteris sumpta est tanquam

fundamentum suæ religionis, seu modi vendi; et hujusmodi fuerunt tres illæ antiquiores regulæ Basilii, Augustini et Benedicti, quæ si attente inspiciantur, adeo breves sunt, ut non contineant omnia quæ in communitate religiosa necessaria vel utilia esse possunt, sed tantum præcipua et substantialia, et præsertim regula Basilii, quam nunc ex ejus operibus colligere possumus, vel ex regulis brevius aut fusius disputatis, vel ex constitutionibus monasticis, vel ex epistola ejus ad Gregorium Theologum, quæ incipit: *Agnovi litteras tuas*, quæ est de forma honestæ vitæ; ex his (inquam) locis solum colliguntur generalia quædam consilia ad viam perfectionis instituendam, non vero omnia quæ ad plenam institutionem monasterii, vel totius reipublicæ religiosæ necessaria sunt; et idem fere observari potest in aliis duabus. Unde ortum est ut semper illis regulis additæ sint aliquæ constitutiones, vel nova statuta, quæ temporum necessitas ostendit esse necessaria. Item, factum est ut intra latitudinem status religiosi ad diversos fines sit unaquæque ex illis regulis applicata, vel ad eundem sub diversis cæremoniis et observantiis, juxta diversas vocationes, aut pios affectus quos Deus fundatoribus, aut potius reformatoribus, vel moderatoribus aliquarum religionum inspiravit. Atque hoc modo dicuntur variæ religiones sub una vel altera illarum regularum militare, quia illam regulam quasi pro fundamento sumpserunt, et proprias observantias addiderunt, de illis etiam proprias ordinationes faciendo, quas, ut ab illa primaria regula distinguerent, constitutiones vel statuta appellarunt. D. autem Franciscus nullam illarum regularum pro fundamento suæ religionis sumpsit, sed propriam confecit, ejusque peculiarem approbationem obtinuit, et ideo quarto loco inter approbatas nominatur, sub qua militant etiam variæ religiones, vel potius familiæ Minorum, præsertim tres, Observantiæ, Conventualitatis, et Capuccinorum, quæ sub distinctis Generalibus proprias eliam habent constitutiones, seu statuta a propria regula S. Francisci distincta.

5. *Primum corollarium, quo respondetur tertie parti tituli.*— Ex his ergo satis constat quomodo differat constitutio a regula in his religionibus ubi hæc distinguuntur; non enim per se differunt ex obligatione quam inducunt; utraque enim esse potest, vel ad culpam mortalem aut venialem, vel ad solam poenam, juxta intentionem instituentium aut ac-

ceptantium talem regulam, vel constitutiones; et secundum utramque debent Prælati uniuscujusque religionis subditos gubernare, et potest eis impuare ex vi obedientiæ, ut probatum est. Differentia vero solum videtur accidentaria in origine, et in hoc quod regula est quasi generalis et communis, constitutiones autem speciales et propriæ. Aliqui existimant etiam differre aliquo modo in majori perpetuitate, proveniente ex specialiori Pontificis approbatione seu confirmatione; nam regula non potest sine Pontificis auctoritate mutari, quia est jure communi, vel a Pontifice specialiter confirmata; constitutiones autem sicut per religionem factæ sunt, ita per eam mutari possunt; ita D. Anton., tertia part., tit. 16, cap. 1, § 4, ex Joan. Andrea, in Novellis. De qua differentia mihi satis non constat, et ideo consulenda censeo singula instituta, et quo sensu et modo unaquæque talem regulam sumpserit ac profiteatur; nam de tribus antiquioribus regulis non habemus ita expressam Pontificum aut juris communis approbationem. Nam Innocentius II, in dict. cap. *Perniciosam*, obiter tantum illarum mentionem facit, et supponit potius antiquam approbationem, quæ scripta non habetur, sed potius traditione et usu facta videtur, quamvis de regula S. Benedicti legitur specialis S. Gregorii approbatio in hæc verba: *Ego Gregorius, S. R. E. Presul scripsi vitam B. Benedicti, et legi regulam, quam ipse Sanctus manu propria scripsit; laudavi eam, et confirmavi in sancta Synodo*; ita refertur ad finem illius regulæ post commentarios Turrecrematæ, in quodam antiquo volumine de cujus auctoritate mihi satis non constat. Deinde non constat illas regulas ita esse confirmatas a Pontificibus, ut non possint a religionibus, quæ illas profitentur, communi consensu et auctoritate mutari. Loquimur autem de mutatione quoad aliquas particulares partes regulæ, nam mutare totam, jam esset mutare religionem, et substantiam ejus, quod religio facere non potest, alias destrueret seipsam. Hoc tamen modo, etiam non potest talis religio auctoritate sua mutare omnes constitutiones simul sumptas, quibus quasi constituitur in esse talis religionis; quia hoc esset destruere suam specialem professionem; non videtur ergo esse in hoc magna differentia. Præsertim quia etiam constitutiones approbatarum religionum solent esse a Sede Apostolica confirmatæ, et nihilominus ab eadem Sede habet religio potestatem ad mutationem

aliquam faciendam; idem ergo potest contingere circa regulam. Consulendæ ergo sunt facultates Apostolicæ, quas in hoc unaquæque religio habet. Specialiter vero ex regula S. Benedicti, et S. Francisci, quædam sunt in jure canonico insertæ, ut patet ex cap. *Cum ad monasterium*, de Statu monach., et ex cap. *Exiit*, de Verborum signif., in 6, et Clement. *Exiit*, eod. tit., et in his verum esse opinor non posse fieri abrogationem seu derogationem, Summo Pontifice inconsulto.

6. *Secundum corollarium. — Verificatur plane de Carthusianis, et Societate, et aliis.*— Secundo, sequitur ex dictis, multas esse religiones approbatas quæ non habent regulam in eo sensu sumptam, id est, a constitutionibus distinctam, aut ex aliquo antiquo Patriarcha religionum sumptam, non tamen propterea carent regula propriissime dicta; vere enim ac proprie regulares sunt; habent ergo suas constitutiones pro regula: ita sentiunt de Carthusianis Antonin., Sylvest. et alii, qui putant usque ad sua tempora nullam aliam religionem approbatam fuisse, quæ aliquam ex prædictis regulis non profiteretur. Et sane Innocentius II, in dict. cap. *Perniciosam*, satis significat usque ad sua tempora omnes veros religiosos sub aliqua trium antiquarum regularum militasse; sic enim ait de quibusdam mulieribus: *Quæ, licet neque secundum regulam B. Benedicti, neque Basilii aut Augustini vivant, sanctimoniales tamen vulgo censerentur desiderant*; quasi tacite supponendo illas feminas non potuisse, nisi sub aliqua ex his regulis, veram religionem profiteri. Nihilominus tamen Carmelitæ ante Innocentium II vere religiosi erant, et tacitam saltem approbationem habebant, ut colligitur ex cap. *Unico*, § *Sane*, de Relig. domib., in 6, et infra latius dicemus; et tamen ipsimet dicunt se nullam ex dictis regulis profiteri, sed propriam; non ergo religiones omnes approbatæ vivebant sub aliqua illarum. Antonin. autem, et alii ad hoc respondent, Carmelitarum regulam a Basilio duxisse originem, et ita sub illa comprehendi; quod licet aliquibus non placeat, mihi videtur necessarium, propter textum citatum Innocentii II. Usque ad tempora ergo Honorii III, facile concedemus nullam fuisse religionem approbatam, quæ suas constitutiones quasi propria regula habuerit, præter Carthusianos, de quibus dicit Antonin. supra, quod habent sua statuta pro regula, et habetur in magna veneratione in Ecclesia. Post Hono-

rium vero Societas in hoc imitata est Carthusianos, nullam enim ex antiquioribus regulis profitetur, sed Constitutiones, quas a suo fundatore S. Ignatio accepit, habet pro regula a Sede Apostolica approbata, ut infra videbimus. Ordo etiam Minimorum dicitur habere propriam regulam, a suo institutore S. Francisco de Paula editam, et a Sixto IV et Alexandro VI approbatam.

7. *Tertium corollarium.*— Tertio sequitur, nunc plures esse in Ecclesia quam quatuor regulas approbatas. Nam, præterquam quod religio Carmelitarum suam propriam regulam approbatam habere contendit, Carthusienses, et Minimi, et Societas, et fortasse alii habent suas, quia nec esse possunt sine regula, ut dixi, nec potest religio esse approbata sine sua regula; hæc autem religiones approbatæ sunt, ut supponimus, et non profitentur supradictas regulas; ergo unaquæque habet suam approbatam. Neque enim in illis prioribus quatuor major aut diversæ rationis approbatio cogitanda erit; nullo enim fundamento hoc dici potest, cum, eadem auctoritate Pontificia, et eisdem verbis etiam hæc posteriores regulæ approbatæ et confirmatæ sint; de quo videbimus plura in particulari infra tractando de approbatione Societatis. Non omitam etiam advertere, in nono tomo operum B. Hieronymi haberi regulam monachorum ex scriptis D. Hieronymi a Lupo de Oliveto, Generali ejusdem Ordinis, collectam, ibidemque refert litteras Apostolicas Martini V, quibus eam approbavit, ut monachi illius ordinis, qui prius secundum regulam B. Augustini profitebantur, sub propria regula, D. Hieronymi nuncupata, deinceps profiterentur. Extat etiam regula S. Pachonii, quem ab Angelo dictante accepisse Hieronymus refert, et sub ea multos Ægypti monachos vixisse.

## CAPUT II.

QUAM OBLIGATIONEM INDUCAT REGULA RELIGIOSA, ET QUOMODO COGNOSCATUR QUANTA SIT TALIS OBLIGATIO.

1. *Duplex modus condendi regulam cum jurisdictione, aut sine illa.*— Supponimus hanc regulam habere aliquam vim et rationem legis, ut constat ex usu, et sensu omnium religionum, et patebit magis ex dicendis. Ad quod explicandum adverto, statum religionis, ut sæpe dixi, dupliciter posse considerari, vel seclusa jurisdictione ecclesiastica a Pontifici-